Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1875
Quelle:
Copyright:

Fol. 99. ſequuntur ejusdem rationis, ſed breviores *Sermones* in totius Anni Dominicas initio capto a *Dominica I. in aduentu domini*, quod ſic habet: *Cum appropinquaret dominus ieruſalem. Math. XXI. Quinque notantur circa aduentum domini in carne. Primo cauſa motiua ad incarnandum. ſeu miſericordia eius* &c. Sub finem additur Adumbratio Sermonis de vera Sapientia, uſui fortaſſe futura in Feſto SS. *Benedicti* et *Bernhardi*, quorum nomina memorantur. Nullus dubito, hanc quoque Congeriem pertinere ad *Sibotonem*, cujus alii duo Tractatus ignoti hoc pariter *Vol.* indicantur. Bibliothecarii O. P. qui T. I. p. 475. ſolum ejus Tractatum *in Orationem Dominicam* prodiderunt, addunt: *Utinam Viennenſes noſtri quid certius aliquando prodant.* Et en, ſi non *noſtri*, ſaltem *Viennenſes*, et ſi non *certius*, ſaltem plus.

DCCLXXXII.

R. 3123 Codex membraneus germ. lat. Sec. XIV. Folior. 86. 4. primum lineis longis, dein per duas columnas exaratus, nitidus, rubro diſtinctus, et olim *Monaſterii Sancte Dorothee virginis in wienna* inſcribitur: *Incipit Jacobinus de tempore*, Operisque hujus Indicem alphabeticum praefixum habet. Verum inter hunc et Opus ipſum intercedit Expoſitio germanica Decalogi in hunc modum: *Die zehen geboth die got ſelber gab moyſi geſchriben mit gotes vingern an zwain ſtaynen taueln die ſcholt du merchen an diſem brief. Das erſt gebot iſt das.* Non habebis deos alienos coram me. *du ſcholt nicht haben vremd gother newen mier. daz iſt als vil geſprochen. du ſcholt chaynen andern got haben dan mich. chainen got anbeten den mich. an chainen andern got gelouben den an mich. chain dinch liber haben den mich. chain vnrechten gelauben haben von mir. Wider das gebot ſunden* (peccant) *ſubenlay leut.* &c. Ita ad quodvis Praeceptum recenſentur *ſeptem* Modi, quibus illud violari poteſt, et demum concluditur: *Alle dis rede von den czehen geboten als ſi geſchriben ſint hat bruder iohannes von der ygla geleſen vnd erclaubt* (collegit, *Klauben*) *auf der hailligen ſchrift vnd hi czu einander bracht.* Neſcio, cui Sodalitio *Fratrem* hunc *Johannem de Iglavia*, ſeu *Ericino Moraviae* contribuam

Fol. mox 6. ſequitur dictus *Jacobinus*, ſeu Paradigmata Sermonum in Epiſtolas et Evangelia de Tempore ab *Adventu* uſque ad *Dom. XV. poſt Pentec.* ita tamen, ut praecedat Materia *De gaudijs celorum*; hoc initio: *Celorum gaudia ſub epilogo numeremus. non quidem ſingula generum. ſed genera ſingulorum* &c. *Jacobinum* Scriptorem homileticum nemo meorum prodit. Quid ſi, quae coram habemus, Paradigmata e Sermonibus *Jacobi de Voragine* carpta ſint, et ideo *Jacobinus*, velut